CAP. I.

AJunt ex corpore hortulanorum etiam pretiorum æstimatores [1] (seu censitores) ut plurimum esse, & rem facere gravem. Quando enim horti dominus ipsum tradit hortulano mercedem fubeunti, nihil aliud quam plantatum in ipso olus æstimant, & ejus æstimationem taxant, accipienti hortulano seu conductori. Cum redditurus est post implementum temporis conductor, tunc facere eos subtilissimam oleris æstimationem, ipsam vero in sextuplum & multiplex offerre: & si quidem ipsi quinquaginta aureorum fit olus, non minus trecentis, interdum etiam & pluris, hoc æstimare: & non usque ad hoc solum rei constituere inexplebilitatem, sed & majorem illam facere, ut plurimum dicentes quod ſtercolinum [2] injecerunt terræ, & quædam inde habeant emponemata, & inde extollunt utique quoad possunt æstimationem, & super hæc pro æstimatione plantarum, (forte) arborum alias pretii accessiones facere, tametsi quando a dominis accipiunt, nulla talis expensa imputata sit, etiam hæc utplurimum in pactis, confitentibus hortulanis, quod & custodient implantatas arbores, & alias [3] plantabunt. Sed æstimator, etiam in se ipso similem [4] rem paulo post forte putans, revera pro se ipso talem inexplebilitatem infert, ita ut si quidem miser sustineat dominus ex imperitia tantum sibi inferri damnum & sua recipere, alteri autem tradat hortulano ipsum hortum, & rursum sub illo idem patiatur, & ad hæc plus tertia forte aut quarta parte tanta, patiatur illius avaritiam, periclitetur & ipso penitus excidere horti dominio, & a suis rebus abalienetur, fiat autem & ipsi major quædam improbitatis accessio. Nam si post hæc adveniens hortulanus addat quid priori reditui, & ipse ab hujusmodi conductione desinens exigat æstimationem, tanquam ex emponematibus [5] ipsius factam, quamvis nulla penitus accessio ex illius sedulitate facta sit, sed forte ab initio vel per temeritatem eorum qui tradiderunt, vel per desidiam, minoris quam par erat, locantium, quæ quidem nobis omnia supra omnem videntur esse malitiam & audaciam, quam reprimi volumus a tua excellentia, divinæ huic nostræ legi attendente, & ut quemadmodum [6] hortulanus accipit hortum a possessore, ita & ipsum reddere debeat. Et si quidem olus habeat quando hortulanus ipsum accipit, & æstimatio sit ejus, similiter & in restitutione, subtilem æstimationem oleris solius accipiat. Si vero non habeat, sed nudum accipiat hortum, sive habentem stercus, sive non, sic & restituriomem fieri oporteat: & simpliciter sic observari rei ordinem in tradente seu reddente hortulano, qualis fuit quando ipse accepit, nullo alio contingente domino damno: æstimationem autem olerum, non solum ab hortulanis fieri, sed a vocatis *Summariis* [7], & ipsis horum peritiam habentibus, divinis nimirum propositis [8] Evangeliis. Non enim volumus possessoribus inutiles esse possessiones propter conductorum malitiam & inexplebilitatem. Propter hæc igitur congregatis his definies, neque permittes fraudem aliquam inferri possessoribus, sed undique ipsos innoxios & indemnes custodies. Volumus enim in pari [9] mensura & conditionem dominorum erga hortulanos, & hortulanorum erga dominos esse, propterea quod undique paritas nobis curæ est, & ne alterutra pars injuria afficiatur.

CAP. II.

SI vero quis terram spinosam [10] (squalidam) locaverit, hic vero eam excoluerit, culturæ mercedem accipiat, & veram oleris quod ibi erit æstimationem, atque ita sine negotio recedat, nulla avaritia, neque callide excogitata arte in ea re admissa: ut per hanc divinam nostram pragmaticam legem, & futuram ex ea dispositionem a tua excellentia, de cætero maneamus ab hujusmodi rebus immolestati, & non reliquis nostris super republica curis, etiam tales superveniant curæ. Quandoquidem nobis non parva, non magna nostræ reipublicæ pars extra solicitudinem constituta est, omnia lustrantibus ipsius mentis oculis, & nihil inornatum, neque inordinatum, neque ambiguum manere volentibus. Comminaberis autem, & pœnam quinque librarum auri contra eos qui posthac tale quid facient aut facere permittent. Dat. [11] CP. * JOHANNE CONSULE.

TIT. XX.

UT TERRULÆ [12] AUT DOMUS, AUT VINEÆ SANCTISSIMÆ ECCLESIÆ MYSIÆ [13], IN REDEMPTIONEM CAPTIVORUM AUT ALIMONIAM PAUPERUM RELICTÆ, POSSINT ALIENARI SECUNDUM COMPREHENSAM HAC LEGE DISTINCTIONEM.

NOVELLA CONSTIT. LXV.

Integra deest apud Scrimgerum præter superiorem titulum. Ea primitus Latina fuit. Ejus epitome Græca apud Haloandrum. Latina apud Julianum extat.

SCimus antea promulgasse legem. Hæc constitutio localis est, nam promulgata est de ecclesia Mysiæ, & jubet, ut si quis rem immobilem eidem ecclesiæ dederit, vel reliquerit certum reditum habentem: & adjecerit, ut in continentia pauperum reditus administretur, (addit Haloander, vel ad redemptionem captivorum [14]) hujusmodi legatum vel hereditas vel donatio nullo modo alienetur. Quod si incertus reditus eorum sit, domus autem relicta vel vinea procul a civitate fuerit in qua ecclesia sita est, cui legatum vel donatio facta sit, tunc liceat tales possessiones vendere. Sin autem domus vel agri aut intra civitatem aut circa muros ejus fuerint, testator autem voluerit venundari ea, & ex pretio eorum redemptiones vel alimonias fieri, tunc secundum tenorem verborum testatoris, & in his venditio celebretur. Talis enim rei actus firmissimus est. Qui judicio conventus fuerit, si destiterit, condemnator, quippe malam [15] causam habens, & prius in jus vocatus, & contestatus, & vocatus legitime, & non obtemperans. Emissa mense Aprili XIV. Anno imperii JUSTINIANI sub JOANNE (CONS.)

DE ALIENATIONE RERUM ECCLESIÆ MYSIÆ RELICTARUM PRO CAPTIVORUM REDEMPTIONE ET ALIMENTIS PAUPERUM.

SCimus [16] antea legem promulgasse, per quam omnes alienationes ecclesiasticas inhibuimus. Sed postea alia lege propsximus, quatenus liceat pro solutione ecclesias, vel alias quæ piis domibus deputatæ sunt, persolvere. Sed & hoc in nostra venit memoria, quod Martino viro sanctissimo, Episcopo Clinate civitatis, firmam & ante legem nostram dedimus prohibentem cum ecclesiasticas res vendere, neque ex potentioribus necessitatem ei imponant secundum suum propositum res ecclesiasticas alienare. Sed & in nostra venit memoria alia res, quam pro divinis fecimus vasis, pro quibus omnibus abdicavimus, ne cui liceat sacrosancta vasa vel venundare vel obligare, nisi tantummodo in redemptionem captivorum: quia animæ redemptio aliis omnibus rebus pretiosior est. Sed hæc quidem antea. Subsecuta sunt quæ * nam ratione necessaria nobis fuit ad præsentis legis memoriam. Venit etenim in præsenti memoratus sanctissimus vir in hanc sanctissimam civitatem, & edocuit nos, multas terras fine reditu, vel domunculas, vel vineas relinquere ad redemptionem captivorum, vel pauperum alimonias, & alienatione prohibita memoratos actus, licet piissimi fint, attamen inhiberi, competens sibi, permitti legem hoc facere. Sancimus itaque, si quis reliquerit ad redemptionem captivorum, vel pauperum alimonia, res immobiles, siquidem certus reditus est ex relictis rebus colligendus, manere legatum vel hereditatem, vel donationem, nulla alienatione mutilanda, cum possit ex reditibus redemptio vel sustentatio fieri. Si autem vel certus reditus non est, vel domus pene diruta, & longe ab ecclesia posita, vel vineæ, quarum fructus non semper similes sed varii, colliguntur, & incursionibus sprlitan Barbaricis dediti, in his tantummodo speciebus permittimus venditionem hac speciali lege in memorata provincia fieri, si tamen domus intra fines ecclesiæ vel vineæ juxta muros civitatis minime positæ sint: ita ut in venditionis instrumento ipsa verba testatoris exprimantur, ut ei placuit venditionem fieri, & redemptionem ex his captivorum vel alimonias pauperum celebrari. Et si hoc ita subsecutum fuerit, habeat venditio firmitatem, liceat sine metu alterius legis, & Oeconomis ecclesiasticis, & viro sanctissimo Episcopo vendere, & emptoribus habere easdem res firmo jure. Habebunt autem Dei omnipotentis crimen Oeconomi ecclesiæ, si pretia quæ acceperint in aliam causam consumpserint, licet piissima sit. & non in prædictas duas tantummodo causæ, ad imiationem legis quæ super sacrosanctis vasis alienandis lata est. Sic enim venditio necessaria procedat, ne actus piissimi exinde fraudentur, & animæ hominum inde pereant, cum & terrarum possessio & rerum immobilium non talem habeat curam, nec ita sit necessaria ut captivorum redemptio & vita egentium, quæ & animas salvant, & Deo omnipotenti placabiles sunt. Gravitas itaque tua quæ per hanc specialem legem nostra decrevit æternitas, tam effectu mancipare quam observare procuret. *

TIT. XXI.

UT FACTÆ NOVÆ CONSTITUTIONES POST [17] INSINUATIONES [18] EARUM, POST [19] DUOS MENSES VALEANT. PARCIT AUTEM NON CUSTODIENTIBUS SUBTILITATEM CONSTITUTIONUM SUPER [20] TESTAMENTIS IN RELINQUENDO QUADRANTE, AUT NON SUBSCRIBENDO NOMEN HEREDIS, AUT NON DICENDO.

NOVELLA CONSTIT. LXVI.

Idem Imp. August. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

SEmper legum nobis occasiones motorum negotiorum præbuerunt causæ. Pluribus enim nobis additionibus factis occasione nostrarum constitutionum, quas super successionibus scripsimus: (quale est, *ut oporteat testatorem propria* [21] *manu heredis scribere nomen, & ex quantis* [22] *unciis reputari oporteat Falcidiam, quam filiis parentes relinquunt, sive ex tribus, sive ex quatuor, sive etiam ex pluribus*) & multis propter hoc periclitantibus testamentis cadere, ne complerentur quæ in eis scripta sunt: quia licet factæ sint leges, tamen non sunt cognitæ aut provincialibus, aut etiam hic nondum forte propositæ: nullique manifestatæ: necessarium existimavimus talia lege brevi corrigere.

CAP. I.

SAncimus igitur ex illo nostras constitutiones, quæ pro testamentis sunt, valere, ex quo in commune factæ sunt manifestæ. In provinciis autem, ex quo discretæ [23] per Metropolitas palam factæ sunt, vel postea factæ fuerint: ne legum [24] ignorantia (secundum quod dudum tenuit) testamenta homines facientes, videantur prævaricari legem. Ut autem apertius adhuc causa declaretur, sancimus, *si scripta fuerit hujusmodi lex, hanc post duos* [25] *menses dati ei temporis valere*, & in republica tractari, sive in hac felicissima civitate, sive in provinciis, post insinuationem sufficienti hoc tempore omnibus manifestam

1 Διαιτητές. 2 Ita legitur apud Julianum, stercolinum, ut & alibi sterquilinum, vel stercolinum, *l.* 17. §. 2. *ff. si servit. vind.* l. 17. §. 2. *ff. de act. empt.* stercus, *l.* 5. §. 3. *ff. ad exhib.* Græci κόπρον. 3 Facit *l.* 18. *ff. de usufruct.* 4 Æstimatores rerum adiumendi: quibus velut peritis in arte credendum est, vide quæ dixi ad *l.* 3. §. *ult. ff. de fuit & legitim.* Sic ad æstimationem horti locati faciendam, alii hortulani plerumque adsumi solent, ut hic, & ita fenitor vilissimo pretio hortum æstimare possit, cum accipitur: magno, cum redditur: ut in locatoris detrimentum, sic in conductoris vel hortulani lucrum. 5 Meliorationibus, quas solent coloni repetere, *l.* 55. §. 1. *l.* 61. *ff. locati.* 6 Notanda est hæc sententia adversus hortulanos. 7 Summarius summæ faciendæ atque rationis ineundæ peritus. *Novell.* 30. Galli *prisseurs.* 8 Id commune est omnium æstimatorum, *Nov.* 49. quos ea de causa Galli vocant *Jurés.*

9 Διαστηματός. 10 Χέρσον. terra est squalida, inculta. *Terre en friche.* 11 Dat. 16. Kal. Aug. Imp. DN. Justin. XI. Joanne V. C. Conf. *Jul.* Contius & Cujac. hujus Joannis consulatum referunt ad annum 12. qui est Christi 538.

12 Γῆδια. 13 De rebus immobilibus ad ecclesiam Mysiæ pertinentibus. Julian. *const.* 59. De relictis ecclesiæ Mysiæ. *Index Regina.* quod accedit editioni Haloandri.

14 *Nov.* 120. c. 9. vid. *l.* 1. *C. de sacr. eccles.* vid. Cujac. *in hunc locum.* 15 Contumax ita demum condemnandus, si malam causam habuerit. *l.* 73. *ff. de judiciis. l.* 13. §. 3. *C. de judiciis.* adde *l.* 53. *ff. de re judic.* 16 Hanc constitutionem integram, ut extat, edidit P. Pithœus.

17 Vide *l.* 29. *Cod. de testamentis.* 18 Id est, non statim ab ipsa insinuatione, sed duobus mensibus post insinuationem. Insinuantur autem in urbibus regis, in metropoli & civitatibus cujusque provinciæ. 19 De legibus, quas nuller imperator de ordinatione testamentorum poluit. Jul. *const.* 60. de successionibus *Index Regina.* 20 *l.* 29. *C. de test. & Novell.* 18. 21 *d. l.* 29. 22 *d. Novell.* 18. 23 Καθαρανῶς ἐν χαιρῷ, id est, evulgatæ. 24 Tabellio, juris peritus esse debet. In tabellione requiritur peritia juris, *ad hic & Novell. Leonis quadam.* 25 Novæ constitutiones post duos menses insinuationis obligant. De duobus mensibus adde Cujac. c. 13. *C. de profit. Goth.* Adde Ant. Merend. *contr. lib.* 2. *cap.* 8. Anf.

eam

eam constituere, & tabellionibus [1] ejus cognoscentibus virtutem, & subjectis agnoscentibus, legemque servantibus. Sic nulli omnino erit declinatio, ut nostram custodiat legem. Non enim volumus deficientium infringi volumtates, omnibus siquidem studemus modis ratas eas constituere. Cur enim culpabimus [2] eos qui positas nostras ignoraverint constitutiones: vel si post paululum forte quam scripta lex est, & adhuc ignorata decesserint testatores, & propterea in testamentis aut non scripserint propria manu heredum nomina, aut etiam tres uncias solum reliquerint filio, & non quatuor: in quo legem aut non positam esse contingit, aut positam [3], & eo quod nondum proposita fuerit, juste ignoratam? §. 1. Igitur etiam hactenus, licet antiqua constitutio sit, & in cognominis nostri posita constitutionum Codice [4], quæ scribi propria manu heredis nomen disposuit, tamen plurimi præter ejus testati sunt virtutem, ignorantes ejus legislationem: & hactenus talia prætermissa denuntiantur nostræ potestati & omnibus semper talia poscentibus, veniam dedimus, quoniam nondum fieri has manifestas evenerat: & sacras super his fecimus formas justam eis largientes veniam. Ne igitur importunitatem patiamur de his per singulos dies, & formas scribere cogamur: propterea sancimus (sicuti dictum est) seniorem quidem in Justinianeo positam Cod. legem [5] valere, hic quidem ex quo insinuata est: in provinciis autem ex quo directa & palam facta est in unaquaque metropoli aut alia civitate. Tempore namque plurimo transeunte, & nostro Codice ubique directo, non recte ignorabitur. §. 2. Alteram vero novellam [6], quæ inter Constitutiones post Codicem posita est, decernentem quod filiis relinquatur, valere & in hac felicissima civitate, & in provinciis post duos menses insinuationis, sicuti prædiximus: eo quod factis a nobis uniformibus [7] constitutionibus de mensura institutionis filiorum, alia quidem Græcorum lingua conscripta: propter multitudinis frequentiam, alia vero Latina, quæ etiam firmissima [8] propter reipublicæ figuram [9] est: illa quidem Kalendarum Martiarum habet conscriptionis tunc diem: non autem tunc insinuata est: alia vero est Latina voce conscripta ad Salomonem gloriosissimum apud Afros sacrum præsulem [10] tunc prætoriorum, Kalendis Aprilis. §. 3. Quia vero neque Græca lingua conscripta, mox palam facta est & directa, denique etiam quæ hic ad gloriosissimos Præfectos sacrorum nostrorum prætoriorum conscripta est, id est, Græca lingua, Majo mense insinuata est in eadem sede atque directa: ideo fancimus oportere ejus legislationem [11] quæ de mensura institutionis filiorum eloquitur, valere hic quidem ex Kalendis Majis, ut duos menses ei fervemus: in provinciis autem ex quo hæc palam facta est, etiam ibi duobus mensibus post insinuationem servandis. Si vero nondum hactenus in omnibus provinciis destinata est: velociter & eam & alias, quæ forte non missæ sunt adhuc, aut etiam posteа comitante Deo a nobis faciendas mitti nunc vel mittendas esse: quatenus nostræ constitutiones in metropolitanis civitatibus fiant vel faciendæ sint manifestæ. Provinciarum vero præsides ipsos mittere eas, & missuros esse per omnes civitates sub unaquaque provincia constitutas: ut nullus de cætero occasionem sumat cujuslibet ignorationis. §. 4. Unde præteritum omne justam habeat veniam, valeantque defunctorum voluntates & dispositiones; vel si nuper factæ sunt, sicut eas illi fecerunt: vel si secundum prius tenentem legislationem literis [12] propriis non scripserunt heredum appellationes, aut testibus eas non fecerunt manifestas, aut tres uncias & non amplius reliquerunt filiis. Non enim infringi (licut prædiximus) defunctorum volumus dispositiones: sed ratas eas esse per omnia declaramus: ut si vel proxime [13] scripta sint testamenta post positionem legis, nondum vero contigerit constitutiones factas innotuisse: & superviventibus forte testatoribus non sunt mutata: maneant etiam sic institutiones, quæ ab initio secundum tunc certas extantes factæ sunt leges, propriam virtutem habentes, & non accusandæ eo quod tempore quo [14] supervixerunt illi, eas non mutaverunt. Non enim omnia sunt in nobis, nec semper quibusdam tempus fit testandi repente, plerumque enim incidunt hominibus mortes, testandi eis potestatem auferentes. Quamobrem ab initio factum recte, eo quod non fuerit mutatum, non arbitramur postea mutari, aut aliquo modo infringi: fed immutilatam manere quæ tunc placuit testatoribus sententiam, valideque servari. Erit namque absurdum, ut quod factum [15] est recte ex eo quod tunc non erat factum, postea mutetur. §. 5. Collective igitur dicendum, percipiant filii relictas sibi (si ita contigerit) a patribus tres uncias ex testamentis ita factis, aut ante legis positionem, aut post positionem legis, antequam hæc tamen apud judices innotescerent. Si vero adjectum fit testamentis, oportere quod reliquum est, eis impleri, secundum quod tunc legibus debebatur: hoc percipiendum secundum antiquas leges: ut si quid deest tribus unciis, secundum illas supplementum fiat, non in quadruncio, quod postea quidem fancitum est, nondum tamen tunc agnitum.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem: præceptis propriis tua eminentia omnibus faciat manifesta, & qui in hac maxima civitate, & qui foris inhabitant: quatenus omnibus fiant palam quæ a nobis pro omnium cautela fancita sunt. Dat. Kal. Mart *Constantinop.* Dom. JUSTIN. PP. August. Anno XI. [16] JOAN. V. C. CONS.

1 Idque contradunum seu instrumentorum reste, seu ex legibus concipiendorum causa. 2 Non affectata constitutionum novarum ignorantia excusatur, *l.* 29. *Cod. de testam.* 3 §. 4. *J. hoc tit.* 4 *l.* 29. *C. de testam.* § *d. l.* 29. 6 *Novell.* 18.

7 Ἰσοτιμῶν, id est, æqualis formæ. 8 Κυριωτάτη, id est, propria, vel quæ autoritate polleat. 9 Seu statum. 10 Præfectum. 11 *d. Novella* 18.

12 *Nov.* 107. c. 1. Id abrogatur *Novell.* 119. c. 9. 13 *In pr.* 3. *h. t.* Præsumptionem observa. Quod fit illico post legem de novo introductam, præsumitur factum non in contemptum legis, ejusve fraudem, sed per eius ignorantiam. 14 Ignorantia novarum constitutionum non fupina excusat omissionem solemnitatis nova constitutione introductæ.

15 Quod recte factum est, toleratur, si is, qui fecit, ignoravit mellius fieri posse.

16 Legendum videtur XII. ut Novella superiori, id est, anno 538.

17 De his, qui ecclesiam vel oratorium ædificare volunt. Jul. *const.* 61. De his, qui templa ædificant, *Index Regina.* huc pertinet *c.* 1. & 2. *J. h. t.* adde *Novell.* 120. *c.* 11. & 7. 3. *h. t.* 18 Si episcopus multum tempus ab ecclesia fua defuerit. Jul. *ibid. num.* 211. Ne episcopi ecclesiis suis aberrent. *Index Regina.* huc pertinet c. 3. *infr. h. t.*

19 Jul. *ibid.* n. 212. præditorum, *Index Regina.* huc pertinet c. 4. *J. h. t.* 20 Id est, ut nomen aliquod sibi comparent. 21 Vide *c.* 2. *J. h. t.* 22 Ἰερὰν λειτουργίαν, ab episcopo, præsente metropolitano vel duobus episcopis a metropolitano transmissis, de qua dixi *d. Novell.* 58. Gall. *la Messe.* 23 Auspicia futuræ orationis domus, orationes & vota. 24 Σταυροῦ πήξειτο, hinc σταυροπηγία, *Nov.* 131. c. 7. adde *Nov.*

NOVELL.

TIT. XXII.

UT NULLUS [17] FABRICET ORATORII DOMOS PRÆTER VOLUNTATEM EPISCOPI: ET UT DEPUTET PRIUS QUÆ CIRCA DILIGENTIAM ET STATUM FABRICATI ORATORII SUFFICIANT: SIIS: ET DE ALIENATIONE ECCLESIASTICARUM RERUM IMMOBILIUM [19].

NOVELLA CONSTIT. LXVII.

Idem Imp. Justinianus August. Mennæ sanctiss. & beatiss. archiepiscopo Constantinopolitano, & universi ejus tractus patriarcha.

PRÆFATIO.

EA quæ de sanctissimis ecclesiis sunt, multis comprehendentes legibus, adhuc etiam alia lege egemus, ad exorta negotia, & rursus emergentia sufficiente. Plurimi namque nominis [20] causa, non ad opus sanctissimarum ecclesiarum accedunt, deinde eas ædificantes, nequaquam curam ponunt, ut expensas quoque eis deponant decentes, & ad luminaria [21] & ad observantium alimenta, & ad sacra [22] ministeria: sed deserunt eas etiam in nudis ædificiis constitutas, & aut destruendas, aut omnino sacro ministerio defraudandas.

CAP. I.

SAncimus igitur præ omnibus quidem illud fieri, & nulli licentiam esse, neque monasterium, neque ecclesiam, neque orationis domum incipere ædificare, antequam civitatis Deo amabilis episcopus orationem [23] in loco faciat, & crucem [24] figat, publicum [25] processum illic faciens, & causam manifestam omnibus statuens. Multi enim simulantes fabricare quasi orationis domos, suis medentur languoribus [26], non orthodoxarum ecclesiarum ædificatores facti, sed speluncarum [27] illicitarum.

CAP. II.

Ut [28] *qui ecclesias ædificant, prius definiant quæ ad curam & constitutionem eius & conservationem pertinent.*

DEinde non aliter quempiam ecclesiam ex novo ædificare, priusquam loquatur ad Deo amabilem episcopum, & definiat mensuram quam deputat & ad luminaria [29] & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendæ [30] domus custodiam, & observantium [31] alimenta: & si sufficienter habere videtur, faciat prius [32] donationem eorum quæ futura sunt deputari: & ita domus ædificetur. Si autem non sufficiat quidem aliquis ad hoc, nomen [33] forte desiderans, quo & ipse fabricator ecclesiæ vocetur, & vult aliquid tale facere (multæ enim & in hac regia civitate, & in provinciis ecclesiæ sunt, in quibus competenti quidem administratur modo, periculum vero ruinæ patiuntur per vetustatem aut etiam parvæ constitutæ sunt, & inordinatæ secundum desiderium eorum qui in eis deputati sunt) licebit ei unam [34] talium ecclesiarum accipienti hanc ædificare: & hic voluntate Deo amabilis orthodoxorum episcopi res agenda est: sic enim poterit & facræ domus fabricator vocari, & nihil de suo superexpendere: deputatis jam circa hoc expensis oblatis ab eis, qui etiam prius has expendebant.

CAP. III.

De episcopis non residentibus in propriis ecclesiis, sic [35] *Julianus epitomator.*

ILlud quoque sancimus, quatenus secundum jam a nobis prolatam legem [36], Deo amabiles episcopi in suis ecclesiis maneant, & non relinquant quidem eas, tempus vero multum hic [37] morentur, & cogant per provincias œconomos expensas [38] sibi transmittere, & sanctissima ecclesia expendat, quod & ipse inde ei observare non patiatur. Sancimus igitur jam a nobis positam legem in sua manere virtute. Si vero defuerit Deo amabilis Episcopus ecclesiæ suæ amplius tempus, nullam ei mitti expensam de provincia: sed illam quidem circa actus pios & sanctissimam ecclesiam expendi: ipsum vero hic errantem [39] non expensis sanctissimam ecclesiam prægravare: cum certum sit, quod si plurimo tempore defuerit, quæ jam a nobis super eisdem fancita sunt, valebunt.

CAP. IV.

De alienatione rerum ecclesiasticarum immobilium.

QUoniam vero contigit jam nos sanxisse [40], ut si qua in provinciis alienatio rei immobilis Ecclesiasticæ facienda est, secundum decretum hanc procedere, sicuti dudum prolata a nobis constitutio dicit: agi vero decretum [41] non solum præsente Deo amabili episcopo civitatis, ejusque clero, sed etiam metropoleos episcopo: nec non & illud insuper est fancitum, ut si metropoleos sanctissimus episcopus futurus est venundare, sive ejus ecclesiæ sanctissimi œconomi, quid oporteat fieri: etiam hoc adjicimus, ut duo ex synodo quæ sub eo est, Deo amabilium episcoporum, quoscunque elegerit, ipsi interfint, & alia omni observatione custodita quæ jam fancita est, præsentia duorum Deo amabilium episcoporum adjiciatur: ut secundum se videatur cum sua synodo rem agere: & sicut ipse rem facit credibilem [42] & sufficientem ei qui sub eo constitutus est, dum præsens est: ita & ipsi quæ sub eo est synodus præsens, per duos Deo amabilium episcoporum videbitur rem præbere cautissimam, fumentem ex hujusmodi synodo testimonium.

SPILOGUS.

† Hanc itaque nostram legem, & ad sedem tuæ beatitudinis, & ad

Leon. 14. 25 Δημοσίῳ πρόσοδον. *Scrimg.* litanius *l.* 3. *C. de heret.* supplicationem, *procession*, adde *Novell.* 123. c. 3. & 32. 26 Εαυτῶν θεραπεύσει νόσους, id est, suis ut interviant morbis, illic hoc faciunt, id est, multi ædificant templa ad illicitos & hereticos conventus, & sit revera hæresis, animi morbus. 27 Hæreticorum templa speluncæ illicitæ. 28 *Nov.* 123. c. 18. 29 Λυχνοκαΐαν, ultitatum erat in Oriente cereos in ecclesiis accendi, præsertim dum legebantur scripturæ. Hieronymo teste. Coteloque & funalia præferebantur in funeribus ab acolythis, *Nov.* 59. c. 2. c. 5. *in fin.*

30 Ἀδιάφθορον αἰεὶ συντήρησιν. 31 Τῶν προσοδεύοντων. *Scrimg.* eorum, qui ibi deserviunt. *Julian.* Galli, *qui deservent.* 32 Quæstio de dotis ecclesiasticæ modo ac quantitate, templi ædificandi quæstionem præcedit. 33 *In pr.* 3. *h. t.* adde *l. ult. in fin. ff. de aper. publ.* 34 Oratoria vetera ac prope destituta, arbitrio episcopi, privatus suo adjecto nomine poteſt reparare. 35 Imo ita, si episcopus multum tempus ab ecclesia sua defuerit. 36 *Novell.* 6. c. 2. 37 Id est, in comitatu principis.

38 Redituum ecclesiasticorum curam penes œconomos fuisse, hinc colligas. 39 Vagus & aberrans episcopus, expensis ecclesiæ non est sustendus. 40 *Novell.* 46.

41 *Nov.* 7. c. 9. Præsidis sc. quod hodie remissum est. *Novell.* 120. 42 Quod sit idonee fieri censetur.

cæteros sanctissimos patriarchas missam, ipsi per literas proprias sub vos metropolitis facietis manifestam, ut illi palam faciant sub se constitutis episcopis: ut nullum lateant quæ a nobis constituta sunt. Dat. Kal. Maji, CP. Imp. DN. JUSTIN. PP. A. Ann. XII. JOANNE V. C. CONS. [1].

TIT. XXIII.

UT CONSTITUTIO SACRATISSIMI IMPERATORIS DE SUCCESSIONIBUS NUPTIALIUM [2] LUCRORUM, QUÆ APÆDIÆ, ID EST NON EXSTANTIUM LIBERORUM, LUCRA INTRODUCIT, OBTINEAT IN HIS FACTIS, QUÆ ACCIDERUNT POST CONSTITUTIONEM: IN HIS AUTEM FACTIS, QUÆ IPSAM PRÆCESSERUNT, LEONIS CONSTITUTIO LOCUM HABEAT.

NOVELLA CONSTIT. LXVIII.

Antonio Contio interprete.

PRÆFATIO.

SCimus Leonis [3] piæ memoriæ constitutionem de his scriptam, qui ad secundas perveniunt nuptias, sive viri sint, sive fœminæ, & nuptiale lucrum procreatis ex illo matrimonio liberis sancte custodientem, & eum qui ita lucratur solius usufructus dominum facientem: dominium autem illis conservantem, & jubentem ut si quidem filii vel nepotes moriantur nullo superlitte, per quem, qui ad secundas nuptias transit, dominio privetur: tunc immota & solida apud lucrantem etiam perveniat dominii utilitas.

CAP. I.

IPsam nos nuper [4] correximus, alia quidem statuentes, volentesque ut heredes mortuorum liberorum vel nepotum, sive parentes sive alii quicunque sint, habeant inde aliquod subsidium, lucrenturque etiam jure dominii per eorum mortem quantum ex pacto non existentium liberorum erant lucraturi: reliqua vero pars ad heredes filiorum vel nepotum qui mortui fuerunt, perveniat: nihil enim a nobis occasione usufructus immutatum est. §. 1. Hæc itaque & nunc, & in omne tempus obtinere volumus, præterquam in his filiis qui mortui fuerint ante nostram constitutionem. Postquam enim prævenit lucrum solidum jam adjectum ei qui ad secundas pervenit nuptias, liberis ante legem mortuis, nequicquam laboraverit nostra lex circa ea quæ lex [5] piæ memoriæ Leonis antevertens sub suam redegit potestatem. Itaque non solum filiis aut nepotibus non existentibus fecure habebunt, quæ lucrati fuerunt, sed & si quid eorum apud alios est, secundum jus quod dominis competit, evincent. Hæc igitur brevi lege comprehendentes, hujusmodi dubitationes tollimus, ne assidue super causis molestiam patiamur: sed lege hæc communi recolentes, his liberemur turbis, volentes servari formam quæ nostram legislationem præcessit, ei qui ante eam beneficio affici meruit.

EPILOGUS.

† Tua itaque excellentia quæ a nobis hac de re constituta sunt in hunc modum omnibus manifesta propriis præconiis & programmatis efficere studeto. Dat. 8. Kalend. Jun. Imp. Dom. JUSTIN. PP. A. Anno XII. [6] JOANNE V. C. CONS.

TIT. XXIV.

UT OMNES OBEDIANT JUDICIBUS [7] PROVINCIARUM [8] ET IN CRIMINALIBUS, ET IN PECUNIARIIS, ET IBI NEGOTIA EXAMINENTUR, NULLO EXCEPTO PER PRIVILEGIUM: NEC HUC CONVENTI DEDUCANTUR, NISI SACRA PRAGMATICA FORMA EXHIBERI QUEMPIAM JUSSERIT.

NOVELLA CONSTIT. LXIX.

Imp. Just. Aug. Constantinopolitanis.

PRÆFATIO.

UNam quidem esse omnium perfectissimam [9] virtutem arbitrandum est hominibus, quæ jura omnibus distribuit: hæc est ex causa cognominata justitia [10]. Etenim unamquamque aliarum virtutum nisi [11] subsequantur hujus bona, fiet nihil horum quæ competunt: itaque nec fortitudinem [12] quæ non est cum justitia, laudabimus: cum scilicet patria [13] lingua fortitudinem [14] in armis, virtutem appellet [15] solum: & si quis ab ea justitiam subtrahat delictorum solummodo, non quorundam bonorum fiet occasio, quam in nostris provinciis intuentes contemni, lege placenti Deo eam corroborare, & ad fortitudinem decentem reducere judicavimus oportere. Plurimorum namque alii quidem literas sacras, alii privilegia, alii pragmaticas formas, alii præcepta judicum, quidam alias ex aliis adinvenientes occasiones sibi peragunt peccandi: quidam in provinciis & extra eas litigare simulant. Qui enim in quolibet loco male patitur, aut aliquod suorum amittit, aut de terminis terræ litigat, aut de proprietate [16], aut de possessione, aut de hypotheca, aut de alio quocunque [17]: quomodo valebit in alio loco probationes horum quæ pertulit exhibere? hæc enim agentes, ostendentesque potentiam solam & fortitudinem, ita juste credentes talia machinantur: & hæc homines perpetrant tanquam perpetuam virtutem habituros se confidentes, & non respiciunt ad millia & decies millia exempla, quia sero tandem & in personis numerabilibus ex potentibus videmus potentes procedere, & ex divitibus divites: in omne autem ævum pene ex [18] potentibus processerunt inanes, ex divitibus autem pauperes: dum patrum injustitiam soboles est fecuta: & non cogitant neque reputant, quoniam quod ipsi quasi per se machinantur potestatibus utentes: hoc forsan contra eos qui ex eis procreantur, agunt: non eadem potentia sequente sobolem, quæ illos sequitur.

CAP. I.

HÆc [19] considerantes, præsentem ponere legem existimavimus oportere: & præcipimus omnibus in provinciis judicibus quicunque nostris obediunt sceptris in universali ditione, & quæ ascendentem videt, & quæ occidentem Solem, & quæ ex utroque est latere: ut unusquisque in [20] qua provincia deliquit, aut in qua pecuniarum aut criminum reus fit, sive de terra & [21] de terminis, sive de proprietate, sive de possessione, aut hypotheca, vel de qualibet alia occasione: illic etiam juri subjaceat: (hoc enim apud legislatores præcedentes varie quidem dictum est, licet non pure, & sicut nos illud consideravimus) ut ultra terminos litigare non quærat. §. 1. Sive enim magna delicta sint, sive contractus consistant, oportet omnibus modis super eis & conventiones esse, & scripturam, si opus fuerit, & examinationem provincialem propter facilem probationem: sive quidem in parvo quispiam similiter delinquat: sive majus adhuc peccatum fiat: quale est si nec in parvis jure potiatur, sed expectet venire in extraneæ terræ provinciam: ibique eum convenire, & de talibus litigare: quem neque præsentem, neque in provincia forsan, propter virtutem illius, aut infirmitatem fuam convenire poterat competenter. Quid enim erit durius, quam læsum circa sublationem bovis, aut equi, aut jumentorum alicujus, aut pecudum, aut (ut exiguum dicamus) domesticæ gallinæ [22], hunc cogi non [23] in qua aufertur provincia litigare, sed alibi currere, & ibi probationes horum quæ pertulit exigi: & aut plures expensas pati, quam rei æstimatio est, aut inopiam ingemiscentem ferre? Hinc nobis multitudo plurima est interpellantium quotidie: & crebro in talibus causis inquietamur parvarum gratia occasionum: & ipsi multas sustinentes importunitates, & videntes plurimam quidem multitudinem virorum plurimamque mulierum ex propriis locis agitatas, & ad hanc venientes felicissimam civitatem: quorum plurimi etiam mendicantes & afflicti hic agunt: interdum quoque hic moriuntur.

CAP. II.

De præsentibus reis [24].

SI igitur fuerint ambo in provincia & actor & reus, nequaquam ad aliam provinciam causa trahatur, neque ad hanc felicissimam civitatem, neque ex privilegio cujuspiam, neque ex jussione: sed illic decidatur. Si vero alter quidem adest, alter autem abest: qui vero præsens est, ex domo absentis injustitiam patiatur: conveniatur omnibus modis ipse qui injustitiam egit, sive curator [25], sive conductor, sive quicunque sit ejus: & licet ei secundum provinciæ spatium, & secundum legem communem antiquitus positam inducias accipientem, nuntiare quæ de his gesta fuit, illi ad quem causa refertur. §. 1. Sed si quidem vicina provincia est in qua hoc agitur, una aut duabus mansionibus [26] in medio provinciarum constitutis: quatuor ei mensium dare inducias: si vero majus sit spatium, sex. Si vero ex Palæstina forsan, aut ex Ægypto, aut ex spatio gentium longinquarum, menses octo ad hoc sufficient. Si vero ex Hesperiis gentibus, aut Septentrionalibus, aut e Lybia: tunc quod etiam præcedentibus legislatoribus sufficiens visum est esse tempus determinatum, hoc est novem mensium: ut ille (si quidem ipsi nuntianti credat) litem illi eam committat. Si vero aliquid aliud de illo sapit, alium dirigat suscepturum modis omnibus actionem, & completurum omnino quæ decernenda sunt: nisi appellatio fuerit subfecuta, sive in majori, sive in minori causa. §. 2. Si autem ille [27] quidem nuntiet [28], ille [29] vero non ordinet [30], & statutum transeat tempus: tanquam [31] firme agentem eum qui conventus est, & pro absente persona, etiam invitum repræsentet negotii judex apud fuum tribunal, & causam examinans præsente eo [32] qui conventionem suscepit, condemnet etiam eum [33] in quo obnoxius apparuerit, & insuper illum post hujusmodi admonitionem mittere in provinciam non volentem: si tamen omnino obnoxius [34] apparuerit, & si quidem locuples sit: ipse

1 Id est, anno Christi 538.

2 De constitutione Imperatoris, quæ lata est de lucro ex morte liberorum contingente per pacta dotalia, Jul. *const.* 62. De constitutione successionum in lucra nuptialia, *Index Regina.* 3 *l.* 6. §. 1. *C. de secund. nupt.* 4 *Novell.* 2. *c.* 3. 5 *d. l.* 6.

6 Id est, anno 538.

7 Judices hic sunt provinciarum rectores & præsides. *Goth.* Vid. in hanc Novell. Rittershus. *part.* 12. *cap.* 16. Adde *Auth. qua in provincia.* Cod. *Ubi de crimine agport. l.* 6. *ff. de evict.* Anf. 8 De jurisdictione prædium provinciarum, Jul. *const.* 63.

9 Τελειοτάτην *Scring.* eandem Justitiam Aristoteles vocat κρατίστην τῶν ἀρετῶν καὶ τελειοτέραν μαλλον ἀστέρος. *Ethicor.* 10 *Nov.* 30. *c.* 9. §. 1. 11 Hominem nihil esse potest, quod justitia vacat. Cic. 1. *de off.* 12 Elatio animi, si justitia vacat, imanitas: scientia remota a justitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda. vid. Cic. 1. *de off.* 13 Lingua patria hic est lingua Latina. *Nov.* 12. *c.* 2. *Nov.* 30. *c.* 1. adde Plut. *in Coriolano.* Cic. 2. *Tuscul.* vid. Petr. Fabr. 1. *semest.* 10. 14 Ἰσχὺν *Scring.* quæ eadem est cum ἀνδρείᾳ. 15 Virtutis vocabulo apud Romanos frequentissime significatur fortitudo: hinc virtus militaris, id est, fortitudo. *l.* 1. §. 6. *ff. de postulando; l.* 4. *ff. de his qui not. l.* 2. 1. *ff. de capitris; l.* 12. *Cod. de postlim.* virtutis ornamenta, id est, belli. Mamertinus *in Panegyrico ad Maximianum.* Plura & prope innumera hujus rei exempla vide apud Petrum Fabrum *d. loc.* ubi inter cætera monet ex Apuleio & Marcellino & aliis Grammaticis ἀρετὴν dici καὶ τὸ ἄρρεν, id est, a Marte: adde Arist. 1. *Polit.* 9. 16 Res nobis utilitatem præbet vel proprietate, vel possessione, vel hypotheca, vel jure. 17 Jure scil. ut iunt servitutes. 18 Vid. Heliosum *vers.* 4. *Of* 6. libro: *Opera & dies.* 19 Hinc sumpta est Authentica, *Quæ in provincia, C. ubi de criminib.* 20 Forum fortitur reus, ubi deliquit. *l.* 3. *in fin. ff. de offic. præsid. l.* 54. *in fin. ff. de pracurat. l.* 2. §. 4. *l.* 19. §. 2. *l.* 36. *in fin. l.* 45. *ff. de iud. l.* 2. *C. ubi de raticinat: & tute tit. C. ubi de crim. Nov.* 8. *c.* 8. *in fin. l.* 7. §. 4. *ff. de accus. l.* 24. §. 15. *ff. de pan. l.* 3. *ff. de re mil.* 21 Separari vindicationem finium a vindicatione dominii, hinc colligo, ut *l.* 10. *C. de evict.* 22 Ut eo loci quisque conveniatur, ubi aliquid egerit vel admiserit, live de maxima, live de minima re, veluti si de gallina agatur. Quamvis enim minima hæc res videatur, attamen justitiæ ratio non ex quantitate, sed ex fide regulis æstimanda est. Nam quod aliis vilissimum videtur, hocalis etiam quam pretiosissimum est, cum & aliosqui probationum copia, in extraneis locis non sit similis agentious, Jul. *const.* 63. *fin numero* 214 23 Rem in loco, ubi delinquit, forum fortitur, *l.* 1. *C. ubi de crim.* nec potest igitur excipere forum judicis, in cujus territorio deliquit. Dives tamen, rescripto principis actorem posse suum ad forum reum evocare, *Novell.* 53. Melior est ea parte actoris conditio, quam rei. Cur? quia actori probationum copia similis esse non potest aliis in locis extraneis, atque in loco delicti admissi. Jul. *hic.* 24 Julian. *numero* 215. 25 Abitente reo criminis accusato ficu causa denunciandæ est ejus inquilinis, conductoribus, procuratoribus vel domesticis. 26 Η δύο μόνοι ἐπαρχιῶν ἢ μέσῃ καθιεῶσαν, id est, duabus provinciis in medio constitutis. Porro quid veteribus mansio fuerit, disi ad *l.* 18. §. 10. *ff. de muneribus.* 27 Id est, curator, procurator, conductor, quive possidet nomine absentis. 28 Locatori & rerum dominis. Solet enim possessoribus rerum alienarum tempus indulgeri ad certiorandum & vocandum dominum, ioque fit pro locorum distantia, *l.* 2. *Cod. ubi in rem. l. ult. Cod. de dilationib. l.* 3. *Cod. Th. de tute fisci.* 29 Dominus proprietarius, seu reus. 30 Aliquem, a quo defendatur. 31 Ὡς δὲ κυρίως πρόσωπον τὸν πεπαμένον καὶ τὸ ἄκυρον θεωρεῖν τῶν ἀπόντων. πρόσωπον καὶ τὸν ἀπόντα. J. ἰσοῦμεν πρόσωπον, id est, procurator, sic hodie Galli, *Faire pour autruy.* Hoc igitur innuit, reo neque veniente, neque procuratorem mittente, litem agi cum eo, qui absentis prædium possidet, quasi cum vero & legitimo procuratore absentis. *Scring.* perinde ac si specialiter constitutus esset ac faceret pro absente. 32 Conductor, curatore, procuratore, eove qui possidet nomine absentis. 33 Contumacem locatorem, id est, rei dominum. 34 Si tamen vere reus fuerit.

exigatur quæ decreta sunt, si vero minus sit quod habet, ut non sufficiat in ista condemnatione: tunc & de absentis rebus compleatur [1] victori damnum hujusmodi.

CAP. III.

De absentibus reis [2].

SI vero neque ipse [3] apparuerit, qui dominum litis præsentare jussus est, aut, [4] qui pro eo legitime cogatur: tunc vocetur quidem legitima [5] voce, non autem obediens condemnetur & absens, secundum schema quod appellatur eremodicium [6], id est, desertæ causæ. Nam qui per contumaciam deserit, in nullo minor [7] præsente putabitur. Si vero ille quidem forsan advenerit, aut miserit quempiam, accusator autem desit, tunc & absolvere eum, & damna [8] ejus mederi calumniatorem cogat, sic erunt temperatiores: sic peccare cessabunt: sic non putabunt potentiam [9] divitiarum justitiæ prævalere. §. 1. Nec latet nos, quia forsan nec sufficiat hoc ad perfectissimam causæ medelam: cum judicantes potentioribus magis quam justiora volentibus & ad provincias venientibus præstent. Sed tamen novimus plurima injustitiarum curata ab hac legislatione, magis autem quantum ad nos est, totum erit sanatum. namque non aliter tradimus cingula, nisi [10] prius jusjurandum subierint hæc accipientes, juste omnibus judicare, & puras servare manus. Non puto posse præsentem legem altero quolibet egebimus augmento, si illi quidem juste judicent ad legem simul & jusjurandum respicientes.

CAP. IV.

De fori præscriptione [11] *tollenda.*

ARripiat [12] autem nullus provincialibus cingulis violentos, nullo utens privilegio, aut potestate, aut forma: nisi [13] forte sacra nostra pragmatica forma occasione publicæ causæ præcedens, exhibitum hic quempiam inferri præcipiat: aut ex lege hoc faciat, quale est super appellationibus: licet etiam hoc ex multa parte curavimus, plurimos majorum judicum in provinciis appellationum constituentes, ut apud illos magis appellatio, quando non de maximo negotio fuerit quæstio, quam in hac examinetur maxima civitate. §. 1. Hanc [14] dicentes justitiæ legem, adhuc potius faciemus eam justiorem, si nulli [15] permittamus habere contra eam quædam privilegia: neque excipi ab hac lege quolibet privilegio [16]: nec si cuilibet sanctarum ecclesiarum largitum sit, aut alicui venerabilium xenodochiorum, aut aliis venerabilibus domibus, aut alii cuilibet ipsarum domuum imperialium, aut sacro patrimonio [17], aut sacris privatis, quæ merito post [18] supremum honorem secundo loco sunt posita: nec si aliquibus judicibus, aut in potentatu positis, aut omnino sub nos constitutis hominibus, sed obediant omnes legi, & succumbentes justitiæ sanctioni, honorent [19] eam, & per omnia habeant sortem: non solum in semetipsos respicientes, sed etiam in futuras successiones: & scientes quia nihil pene in semetipso manet, sed currit [20] natura, semper multas evolvens mutationes, quas neque prævidere facile est, neque prædicere: solummodo Deo, & imperatore sequente Deum, hæc gubernare mediocriter & mansuete volente. §. 2. Si vero quisquam utatur aliquibus sacris formis, sive pragmaticis, sive aliis, de tali quodammodo sibi largitis [21]: erunt omnino infirmæ, judicibus maximam [22] solventibus pœnam, si omnino fuscepeerint: & non hoc quod [23] fit, solummodo meditabuntur, sed quod etiam faciendum est: etenim si posthac tale aliquid impetretur ab aliquibus nostrorum subjectorum, aut ab alio quolibet, quibus prius interdiximus, inter quos complectimur (licut dictum est) ecclesias, & venerabilia monasteria, & sacras nostras domos, & sacra privata, & sacrum patrimonium: neque hoc omnino valebit. Erit [24] autem hæc lex ubique suam juste extendens virtutem, & simul quidem futura caute constituens, simul autem quod præteriit curans. §. 3. Scitote [25] igitur omnes subjecti, quos Deus nostris progenitoribus & nobis donavit, quoniam hanc vobis damus legislationem, omnem vobis cautelam conferentes: & neque itinere fatigabimini longiore, neque adversus maximos lacrimabitis: neque nos culpabitis tanquam hæc non corrigentes: sed unusquisque de proximo respiciens pœnam, in quibus forte damnificatur atque læditur, & hanc curam videns, magnum & bonum laudabit Deum, qui hæc nos fancire bene & juste illuminavit. Sit ergo pœna talia committentibus aut suscipientibus judicibus & cinguli casus, & decem librarum auri damnum.

EPILOGUS.

† Gloriosissimi igitur præfecti nostrorum sacrorum prætoriorum, qui per omnem subjectam terram consistunt, legem hanc cognoscentes proponant, & per diœceses sub se constitutas, & in omni [26] Italia, & Libya, & insulis, & Oriente, & quodcunque in Illyrico est: ut sciant omnes, quomodo eorum curam habemus, Deo qui tanta nobis contulit offerentes legem: qui magnam nobis pro eis recompensationem dabit, dum talia pro causa subjectorum salutis sanciverimus: proponatur Constantinop. civibus nostris. Dat. Kalend. Jun. *Constantinop.* Imp. JUSTIN. PP. Aug. Anno XII. JOAN. V. C. CONS. [27].

TIT. XXV.

UT ORDINARIÆ PRÆFECTURÆ URBANÆ [28] ET PRÆTORIANÆ DUÆ [29] ET PRÆFECTURÆ QUÆ IN CINGULO ET QUÆ [30] IN ACTU SUNT, SOLÆ, NON ETIAM HONORARIÆ LIBERENT [31] A CURIALI FORTUNA.

NOVELLA CONSTIT. LXX.

Imp. Justin. Aug. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsulis ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

PLurima horum quæ olim sancita sunt, neglecta, & non facile in republica tractata, omnino visa sunt absque lege & sine legislatione consistere. Novimus enim quia antiquitus erat quædam præfecturæ figura [32], quam honorariam [33] vocabant, codicillis ab imperio super ea collatis: hanc autem ita nominabant, ut nihil aliud nisi purum honorem iis, quibus præbebatur, conferret, quæ curiales non liberabat a fortuna curiali, nisi quis eam ipso [34] opere ministrasset: & sicut de gloriosissimis magistris militum videbimus, quia nullus ex magisterio armorum eripitur fortuna curiali, nisi cum opere gesserit, (nam & magisterium militiæ præfecturam esse nostræ dicunt leges: puri vero magistrorum militiæ codicilli solam præbent dignitatem, fortuna non liberantes,) sic etiam in ipsa præfectura si futurus sit aliquis liber hujusmodi fieri fortuna, necesse est in ipso cingulo [35] designatum, ab ea curiæ vinculis liberari.

CAP. I.

RENovamus igitur hujusmodi legem, sancientes, si quando visum fuerit imperio honorare curialem, ut etiam liberet fortuna, dare ei codicillos administrationis, & præparare eum in talibus constitui sedibus aut cingulis urbanæ præfecturæ senioris Romæ, & novæ videlicet hujus nostræ, aut in prætorianis tribunalibus, & Orientis, & Hesperiæ [36], & Libyæ nec non & Illyrici: quos omnes sub nobis fecit Deus: & ita libertate frui, quatenus magno promeriti honore, & in carpentis [37] vecti, & clamores præconum audientes, insuper judiciales confcendentes sedes, hujusmodi fortuna liberi constituantur. Si vero solo eos participare voluerit honore, fieri quidem codicillos, & his dari: tantum vero valere hujusmodi imperialem largitatem, ut ille honoratus quidem sit, & maximæ curiæ pars esse videatur: non tamen neque provinciali curia, neque ejus albo liberetur: sed maneat sub antiqua fortuna, solum lucratus honorem: & ita gratias agens Deo & imperio, quia migravit, eum ad meliora prioris tranquillitatis educens. Sitque etiam hoc additamentum imperialium præmiorum, quod neque publicum minuit, neque fortuna, neque consuetis ei functionibus privans curialem: & ei qui hanc promeruerit, etiam præsentem addens fortunam, & ostendens honoratiorem, & aliis curialibus dignitate solummodo præcedentem.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, tua celsitudo servare festinet: sciens quia neque curiales minuimus, & honoratiores eos omnibus demonstravimus: ut sciant hæ civitates per tua præcepta, quatenus imperio datur. Dat. Kal. Julii CP. Imp. DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XII. JOANNE V. C. CONS. [38].

TIT. XXVI.

UT [39] AB ILLUSTRIBUS, ET QUI SUPER EAM DIGNITATEM [40] SUNT, OMNIMODO, SUPER PECUNIARIIS CAUSIS, SED ET INJURIARUM [41] CRIMINALITEK PER PROCURATOREM DICANTUR: CLARISSIMIS AUTEM IN PECUNIARIIS LICERE EIS ET PER PROCURATOREM ET PER SE LITIGARE.

NOVELLA CONSTIT. LXXI.

Idem Imp. Justinian. Aug. Joanni gloriossf. prætoriorum per Orientem præfecto, iterum exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

QUæcunque procedunt quidem quasi honoris causa, schematis melioris sunt: quod autem hinc evenit, non honorem, sed re judicavimus brevi mederi lege. Fertur enim quibusdam constitutionibus [42], *Ut nulli clarissimorum liceat per se litem exercere, sed per*

1 Textus meo judicio depravatus est & inversus. Ideoque ne putes, actorem, quo casu vicerit, cogi, relictis bonis condemnati, quæ in provincia, in qua delictum est & ignentia lata est, habet, absentis rei forum sequi, ut sententiam exequatur. Sed hoc dici. Ex bonis absentis in ea provincia, in qua deliquit, fitis, victori, id quod judicatum erit, fabri æquum esse. Posumus & sic interpretari, Si victori satisfieri non potest ex bonis præsentibus condemnati, potest victor complementum quantitatis sibi adjudicatæ petere in eo quoque foro, in quo condemnatus, sive in provincia, sive in urbe. 2 Jul. *num.* 216. adde *Novell. Leon.* 108. 3 Id est, conductor. 4 Η τὸν υἱὸς αὐτὸ νομίμως πράττοντα, id est, procuratorem legitime constituitum. 5 Τῇ τῶ νόμω φωνῇ, voce præconis, per præconem, Jul. *hic num.* 216. Porro *vox legis* dicitur eadem forma, qua Synesio *in epist.* Caruffex, manus legum. Præco etiam dicitur vox judicis: *Edictio Justiniani* 9. *cap.* 3. §. 2. ut qui verba judicis pronuntiet, & ferributur tamen in gestis, judicem dixisse, non præconem: ut Augustinus scribit 3. *de trinitate: & de verbis Domini serm.* 16. adde *Novell.* 12. *in fin.* 6 Eremodicium, non est desertio vadimonii, seu promissionis *judicio ipsi*, sed litis contestatio, habetur pro præsente. Judicatur efficaciter adversus præsentem, ergo & adversus desertorem litis, vid. *Nov.* 90. *c.* 9. 8 Vid. *Nov.* 53. *c.* 1. 9 Τὸ πλουσίου τῶ δικαίω κρατεῖν. *Scring.* Divitiæ justitiæ cedere debent. 10 *Novell.* 8. *c.* 7.

11 Evocationibus. 12 Id est, nullus eripiat cognitioni judicum provincialium reos per vim. *l.* 4. *ff. ad l. Jul. de vi privata*: vel per rescriptum, *ut hic.* 13 Res convertiti potest in ea provincia, in qua deliquit, potest tamen rescripto principis ex justa causa imperrare, ut æximatur foro provinciali, & causa agatur in urbe, vel eo loco, in quo domicilium habet, vid. Jul. *hic num.* 217. eoque pacto reus ad se actorem rescripto potest evocare. *ut hic*: ut actor e contra reum, *Novell.* 53. 14 Quilibet judex in sua provincia potest tam de criminibus, quam civilibus causis cognoscere 6. *Eccl.* 21. 15 Non continuo ecclesiæ, aut fisco evocantem permitti oportet, quod sit ecclesia vel fiscus: sed tunc tantum, cum id specialiter & pragmatica aliqua sanctione a principe impetraverint, *fage. o. t. in pr. huius capitis.* adde Jul. *hic num.* 218. 17 Evocationes causarum reis concedunt non tantum in criminalibus causis, ut *c.* 2. 3. *h. t.* sed & in civilibus, *ut hic.* 18 Sacrum patrimonium principis, eeque ejus privatæ, post res sacras & divinas privilegiatæ, & ita potentius est privilegium ecclesiæ, quam principis. 19 Honor justitiæ tribuendus. 20 Natura novas quotidie formas procreat: curritque semper multas evolvens mutationes. 21 Olim Kilicet, ut sit fensius: Privilegia evocationum habenus concessa, etiam pragmaticis formis, hodie esse inutilia. Nullum hodie uti jure evocationis, nisi pragmatica forma hoc specialiter, id est in causa, de qua agitur, a principe impetraverit, *in prima.* 22 Exempiis non est judicandum, sed legibus, *l. nemo.* 13. *C. de sent. & interloc.* 24 Si quis præsentem constitutionem neglexerit, Jul. *n.* 220. 26 *Nov. 79. c.* 2. 27 Id est, ann. 538.

28 Urbanæ præfecturæ fuim præfecturæ urbis Romæ, vel urbis Constantinopolitanæ. 29 Orientis fc. & Occidentis, id est, Italiæ, Africæ vel Illyrici. *c.* 1. J. *h. t.* & magistri militum. Jul. *hic.* 30 Ἐπαρχατοι τάξεις appellat in actu dignitatem, cui opponitur honoraria. fic apud Harm. *lib.* 1. *tit.* 17. §. 12. ἐπαρχατοῦ ἐπαρχοῦντος in actu præfectura, & apud autorem *Eel.* 43. *tit.* 7. *c.* 3. ὑπαρχατοι τῶν ἐπαρχιῶν ἀρχοντες, in actu constituti provinciarum præsides. quibus opponuntur apud eundem autorem 60. *t.* 21. *c.* 68. οἱ μόνον τῇ ἀξίᾳ τετιμημένοι, dignitate tantum honorati. 31 Ut præfectoria dignitas Curialem liberet. Jul. *consist.* 64. De liberationibus decurionum, *Index Regina.* 32 Vide *Novell.* 38. 33 Honoraria dignitas dicitur, quoties aliquis codicillos accepit ab Imperatore: quoties ei dignitas præfiatur, quasi prætorii præfectus fuisset, sive magister militum. Jul. *hic.* 34 Εν αὐτῷ τῷ ἔργῳ, ut sit fensius: In ipso gestu positus vel detur, qui revera præfectus vel magister militum factus est. Jul. *hic.* 35 Τῇ ἀξιῶ. Hoc præcipue dicitur de iis, qui ordo magistratu fungunture: nam honorarium cingulum non habent. 36 Italiæ: quanor enim fuit præfectura prætorio: Orientis, cujus sedes Constantinopolis; Italiæ, Illyrici & Africæ. 37 Αὐτοῦ Carpentum. Vopiscus vocat judiciale carpentum. 38 Id est, ann. 538.

39 Hujus Novellæ finitus hic est: Præfectura honorariæ dignitas non liberat nexu Curiæ, sed ea tantum, quæ actu & reipsa administrata est. 40 De illibus eorum qui in dignitate positi sunt, *Index Regina.* De privilegiis dignitatum sive de prorocatoribus, vide Julian. *consist.* 121. 41 Injuriarum actione civili & criminali illustres personæ per procuratores agere possunt. 42 *l.* 25. *C. de procuratoribus.*